



**Methodus S. Ignatii De Loyola Ducens Animam ad  
Perfectionem per Exercitia Spiritualia**

**Vatier, Antoine**

**Dilingæ, 1689**

Tertia Dies Exercitiorum. Occupationes tertiae Diei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60263](#)

TERTIA DIES  
EXERCITIORUM.

Occupationes tertiae Vici.

DISSESSATIO.

De Negotio Hominis Unico, &  
summè necessario.

Meditatio I. De Morte.

II. De Judicio particulari.

III. De Fructibus Pœnitentia.

IV. De Filio prodigo.

Qui tres solum Meditationes vult facere,  
illam ex Recensitis omittat, quam minus  
sibi fructuosam fore sperat, vel duas in unam  
conjugat, ita ut singulis Horæ dimidium  
impendat.

Ex Libello Exercitiorum. Legantur Regulae  
priorae pro discernendis spiritibus.

Ex Thoma Kempensi. Pro I. Meditatione. Ca-

put 23. Lib. 1.

Pro II. Caput 14. Lib. 3.

Pro III. Caput 18. & 19. Lib. 1.

Pro IV. Caput 25. Lib. 1.

Consideratio instituetur de Oratione men-  
tali & vocali.

N 5

Quar.

TER

## Quarta Veritas

Explicata in Meditatione de Morte.

*Nulli studio parcendum est, ut omni me Salutis periculo expediam, quamdiu id agendis facultas suppetit.*

Primum Punctum Meditationis, quod est de necessitate mortis, & incertitudine tam horæ fatalis quam status illius, in quo nos apprehendet, demonstrat, quod, cum non habemus, nisi breves vitæ nostræ dies, ad operandam Salutem nostram, nosque ex periculo Salutis nostræ, quod incurrimus, explicando, quemadmodum nullam de peregrinationis nostræ diuturnitate habemus certitudinem, ita neque securi simus de tempore, quod providere nobis imposterum concessum sit: atque adeo instruimur, quod præsens identidem tempus præviribus in Salutis nostræ curam par sit impetrare, atque ita vivere, ut semper ad migrandum accincti simus, nec unquam imparati prehendamur. Ethic est propositæ veritatis locus. In hujus porrò genuino intellectu meo reliquorum punctorum beneficio firmatur Nam

Secundò puncto docemur, non fore tunc tempus cogitandi de Salute nostra, cum in fi-

tali lecto Mortem cogemur operiri; majores enim tunc temporis erunt angustiae, quām ut tranquillas adeo cogitationes patientur suscipi. Docemur item, hanc carnem nostram non fore aliud, quām putidum cadaver, & indignum proinde, cuius cura aliqua cum Salutis periculo habeatur.

In tertio' puncto intelliges etiam, animam ad agendum cum Creatore suo tunc ineptam fore, cūm in ipso nimirum Mortis confinio, sui jam immemor, timore & horrore formidabili corripitur.

In quarti puncti discussione cūm visurus sis, quo in statu rerum, & anima, & corpus à Morte ponendum sit, & per consequens intellecturus, quid de temporalibus & æternis Bonis sentiendum, unā etiam penetrabis paulò profundiū, quanti referat cogitare quandoque de magno illo extremæ Salutis nostræ negotio; illo nimirum, quod Unicum omnem curam nostram, omnēisque operam sibi impendi mereatur. Ex quibus omnibus anima tandem concludit, decere omnino, ut ab hoc momento deinceps omni periculo æternæ incolumitatis nos eximere, & in hanc rem vires nostras omnes serio curemus intendere.

Medi.

*Meditatio*

## De Morte.

## Oratio præparatoria ordinaria.

I. PRÆLUDIUM. Fingam me in lecto de-  
cumbere, candelam benedictam una manu jam  
tenentem, altera Crucifixi imaginem, assisten-  
tibus circa pluribus, spectaturis meum ex hac  
vita abitum.

II. PRÆLUDIUM. Petam à Domino DEO  
gratiam profundè penetrandi, qua ratione in  
præsentiarum prospicere Saluti meæ debeam,  
dum certus adhuc sum de Instrumentis à DEO  
mihi subministratis, cùm de ijs postmodum  
habendis nulla ratione securus sim.

## I. PUNCTUM.

## Certa &amp; incerta Hora Mortis.

*Consideranda.*

Moriendum semel est. Hæc irrevocabilis ef-  
fentitia, lata in pœnam peccati Protoplasto-  
rum: & ipsa corporis nostri corruptibilis in-  
doles id secum fert, ut moriamur. Tempus  
verò, locus & Mortis genus, ipséque mentis no-  
stræ status, in quo nos Mors occupabit, occul-  
ta penitus & incerta sunt.

Aff. 31

*Affectus.*

1. Demisè acceptabis Divinum illud Decretum, quō ad Mortem tanquam peccati supplicium damnaris. 2. Ages gratias Divinæ Bonitati, quod cùm vivere nos videat in statu, calamitatibus refertissimo, miserabili huic vitæ finem tandem velit facere. 3. Ah qui usque adeo cæcus esse potui, ut, cùm tempus vitæ sit incertissimum, nihil tamen ego curæ adhibuerim, ut à Morte improvisa aliquando non deprehendar! Quis animi torpor ille fuit, qui inertem adeo me reddidit, ut non illico omne Salutis periculum voluerim declinare, maximè cùm error ille ignavissimus in procuranda æterna incolumitate mea potuerit esse irreparabilis, & infelicitas, in quam incurrissem, infinita! 4. Certè majoris negotium momenti non habeo, dum vivam, neque unquam in hoc satis laboravero, quandoquidem longa ex illius felici & infausto successu Æternitas dependebit. 5. Prospiciamus ergo nobis, & in id incombamus unicè, ut vigili custodia nos, rèsque nostras securò semper locò teneamus.

*II. PUNCTUM.*

Quæ Corporis conditio, cùm Mors  
jam in propinqua est.

*Con-*

## Consideranda.

Corporis conditio, cùm fatalis jam adest hora, planè miserabilis est. Conflicetur enim necesse est cum doloribus acutissimis, cùm deliquijs, convulsionibus, gravedine, foetore, sensuum stupore, & quô non genere calamitatum?

## Affectus.

1. Humiliabo me sub Potenti DEI sic lentis manu. 2. Discam, quæ Corporis mei debeat in me esse estimatio, considerarâ tantâ ejus miseriâ & egestate. 3. Valedicam omnibus sensualibus delicijs, quæ postquam mentem turpissimè decepterint, deserent me aliquando, & in dolores funestissimos mutabuntur. 4. Indignabor tot exhibitis carni mea blanditijs. 5. Exigam deinceps à carne mea severissimè obsequia illa, que animę meā Bono præstare debet. 6. Non differam in fatale illud punctum Salutis meā curam, quando sera nimis futura est. Error est gravissimus non maturare hoc Salutis studium. Et miserabilis fane forem, si id in ejusmodi differrem tempus, quo citra miraculum nulla ejus suscipiendi facultas suppetet.

III. Parte

III. P U N C T U M.

Quis animæ in mortis periculo status.

Consideranda.

Longè miserabilior adhuc est animæ in hoc puncto status. Plena tædijs est misera, & afflictionibus, ortis ex morbi diuturnitate, ex dolorum acerbitate, Mortis immentis viciniâ, & terum omnium amatarum privatione. Et idcirco nullam infelix Salutis suæ curam habere potest, & manifestè tamen intelligit, non jamaliud superesse negotium, quod curare debet, quā illud, ex quo pendet Æternitas: & hoc est, quod miseræ tristissimum accidit; sed & Judicis illius inexorabilis memoria terret ocyus coram illo comparitaram. Æquè formidable illi est peccatorum, de quorum pœnitentia & venia non secura est, recordatio maximè cùm numerum illorum videat infinitum, & gravitatem in singulis tunc intellectu sit, quantam antea nunquā deprehendit, & plurima tunc primū illi manifesta futura sint, quæ semper antea latuerant, & serò nimium contemptum toties oblati cælitus auxiliij promeritis inceptura sic æstimare. Jam & dæmonum experietur infestissimos insultus, figuris septerribilibus se illi obijcentium: judicabit deni-

denique sincerissimè de periculi, in quo hoc rerum articulo versatur, magnitudine: præser-tum, cùm de infinito damnandorum numero tristis mentem cogitatio subjerit. Ecquid vero in hac miseriarum undique imminentium tem-pestate facturam putas? Retro ire DEUS prohibet, neque subsistere jam conceditur: perge-re, & inexorabili Judicio se sistere, accusatrix conscientia, & dæmon horrendum facit. Quod confugiet, cùm nihil, quod ad defensionem possit obtendere, suppetat.

*Affectus.*

1. O vanissima labilis vitæ nostræ vanitas, qui fieri posse judicem, ut mentem decipias, quæ novit in has se angustias aliquando adducendam! 2. O stultam hominum cæcitatem, qui incerti de tempore, quô providere tam grandi negotio liceat, de die in diem illud vocordes differre sustinent! 3. Ne permitte, oru-Mi DEUS, ut tam infelix meî oblivio deinceps mentem mihi occupet: da potius, ut jam nunc curare ordiar Salutem meam, & ab hoc momento talem porrò fac me vivere, qualiter mori velim. 4. Ignosce, Clementissime DEUS, tot peccatis meis, quibus Majestatem tuam ausus sum offendere. 5. En me ad vindicanda illa secundum justissimæ voluntati

tus pronunciata paratissimum. 6. Largire  
michi hanc à sanctissima manu tua gratiam, ut  
eam deinceps Vitam curem vivere, quæ Mor-  
tem timere non debeat, quæ itineris hujus ulti-  
mi, tota quanta est, securitati consulat, quæ so-  
latij loco habere possit quietum, quem speret,  
ex hac vita transitum, quæ nihil admittat ejus-  
modi, cuius amarè tunc pænitere necesse sit.

IV. *Punctum.*

*Corporis & Animæ post Mor-  
tem Status.*

Mors aliud non est, quam *Corporis ab Ani-*  
*ma separatio*, eripiens *Corpori*, quidquid ju-  
cundi hic possederat, in putredinem illud &  
vermes resolvens: inde fit, ut videre nemo  
jam sustineat putidum cadaver; terraque illud  
oculus curetur obrui. *Anima* verò, postquam  
evolavit ex *Corpore*, finem imponit illi, quod  
hactenus ad merendum *DEUS* concesserat, tem-  
pori; & excedens statu mutationibus obnoxio  
Æternitatem immutabilem inchoat, modum  
insuper & intelligendi & amandi longè iam  
habere nobiliorem incipit, & uno velut intuitu  
manifestè intelligit, vanissimam esse Vanita-  
tem, quidquid non est ejusmodi, ut cum *DEO*,  
summo Bono nostro nos conjungat. atque ita

O

con-

contemptu perfectissimo sincerè despicit & execratur inanissimas Vitæ hujus vanitates, quibus se tantum à D E O separatam fuisse meminit, quantum illis affectu imprudenti in hac vita se affixit.

*Affectus.*

1. Quanta est deceptio, vilissimis Carnis delicijs, paulò post cessaturis, immortalia Aeternitatis jucundissimæ divendere gaudia! 2. O mi DEUS! si mori idem est, ac Aeternitatem ordiri, quid aliud est vivere, quam propiorem longæ Aeternitati fieri? Et quibus ego passib[us] cheu miser! ad hanc vitæ metam proprio! Perpende Anima mea, quod Vita, quam agis, Aeternitatem tibi fabricet, at vide qualem, & quam beatam. 3. Renuncia nunc ultero illis omnibus, quæ deserere aliquando, etiam cum volupe non erit, tamen necessum erit: illi verò mentem tuam affige Bono, quod possidere aliquando aeternū dabitur. 4. Centram tibi impigrē fac salutem tuam, & novam ab hoc momento rationem institue. Qui, dum bene valet, affectus illes non recolit, quibus percetti morituentem continget, non vivit.

Colloquium dirigetur ad Redemptorem nostrum in Cruce obeuntem. Rogabis mitissi-

I. *Meditatio. De Morte.*

211

rum Dominum, ut Sanctissima ejus Vita tuæ  
deinceps agendæ norma sit, & acerbitas igno-  
miniosæ Mortis ejus tuam tibi suavem reddat  
& amabilem.

*Compendium Meditationis*

*De Morte.*

Oratio preparatoria.

I. **PRÆLUDIUM.** Finges te in lecto de-  
cumbentem, manibus Crucifixum & Cereum  
præferre, orante interim, quæ te circumstat,  
Cotonâ.

II. **PRÆLUDIUM.** Petere gratiam cognoscendi, quâ ratione in præsentiarum salutem  
tuam curare debeas, quamdiu certa adhuc id  
faciendi facultas suppetit, & serio rem illam,  
tanquam Æternitatis negotium, suscipere.

I. **PUNCTUM.** Moriendum est. Ita DEUS  
statuit; ita ipsa humanæ Naturæ conditio fert.  
Sed ubi, quando, quô mortis genere, quô in  
statu Animæ, incertum est.

II. **PUNCTUM.** In supremo Mortis articulo  
Corpus doloribus affligetur, convulsionibus,  
fatali gravedine, & reliquis hujuscce gene-  
ris Calamitatibus, quæ ineptam reddent Ani-  
mam, ut de se cogitare possit.

III. **PUNCTUM.** Anima plena erit tardijs,

O 2

tristis

tristis ob jacturam Bonorum , quæ tantoperē  
hīc amavit , oppressa terrore imminentis Divi-  
ni Judicij , attonita enormitate , & ingenti nu-  
mero peccatorum , quæ manifestius quām un-  
quam antea cognoscet ; accident spectrorum  
terribilium infestationes ; & idcirco sibi vacare  
in his turbis non poterit .

IV. PUNCTUM. Mors Corpus omni pri-  
vat Voluptate , & Amicis ipsis , postquam excel-  
lit Anima , illud facit intolerabile . Anima post  
factam è Corpore migrationem , jam non am-  
plius viatrix , Æternitatem inchoat , novum  
operandi modum induit , in momento intel-  
ligit , vanitatem esse manissimam , quidquid  
cum DEO non unit mentem .

Colloquium erit cum Redemptore nostro in  
Cruce obeunte . Rogabis ut vita ejus tux se  
norma , & Mors ejus amarissima tuam tibi fa-  
ciat dulcescere .

### Quinta Veritas

Explicata in Meditatione de Judicio partici-  
lari .

*Placandus mihi Judex meus est , quamdo  
adhuc est placabilis .*

Primum Punctum duas Personas exhibet . Ju-  
dicis nimirum , qui est Servator noster , & ju-  
dicator .

candi, hoc est, Animæ humanæ; utriusque item affectiones, & alterutrius ad alterum habitudines exponit. Ostendit rigorem judicij hujus inexorabilem, in quo soli locus erit Justitiae, cum Misericordiæ solum in hac Vita sit copia. Quæ omnia sunt ejusmodi, ut inducant ad seriam considerationem, quam æquum sit, flectere Redemptorem suum, tantum nunc offerentem Clementiæ & Mansuetudinis, quantum ostendet in judicio Rigoris & Justitiae.

Secundum, materiam judicij continet, hoc est morales actus nostros tam honestos, quam discolos; causam etiam ponit ob oculos, ob quam timenda sit meritò DEI vindicis Justitia, excutientis prorsus omnia, sine labeculae, ut cunque parvulæ, oblivious, atque ideo cogentis animam, ad reddendam de Bonis omnibus, quæ habuit, rationem. Ex quorum consideratione persuadeberis, operibus, Misericordiam tibi conciliantibus, tam severam DEI Justitiam anteverttere.

Tertium, sententiam habet severam illam & irrevocabilem, quam si penetrabis, astimabis, ut par est, sapientius infelicissimam Æternitatem, ad quam damnabuntur, qui placere sibi neglexerint condemnaturum Judicem.

Quartum, quod est de sententiæ jam pro-

O 3

nun-

nunciatæ executione , cùm hanc ita exhibeat, quasi præsentem spectare liceat , efficacius nos inducit, ad vitandum illud , quô jamjam absorbendi fuimus , præcipitum. Ita omnia Meditationis hujus Puncta in id convenient , ut persuadeant, quâm æquum sit, placare severum Judicem , quamdiu placabilem se nobis adhuc exhibet.

### Meditatio

## De Judico particulari.

### Oratio præparatoria.

I. PRÆLUDIUM. Sistam me coram Tribunali Supremi Judicis ; circa me habebo nihil nisi opera mea , bona & mala ; ad Dextram assistet Custos Genius , ad sinistram Sathan Accusator.

II. PRÆLUDIUM. Petere gratiam , quâ cognoscam , quâm æquum sit , quamdiu adhuc est integrum , mihi conciliare Judicem meum , & id omnibus viribus exequi seriò decernam.

### I. PUNCTUM.

## De Judice , & anima judicanda.

### Consideranda.

Cùm offeretur anima mea Tribunali Aeterni Judicis judicanda , quinque præsertim capita

claris

clarissimè intelliget. 1. Magnitudinem DEI incomprehensibilem. 2. Perfectiones incomparabiles, & immensem maximè Charitatem, ac Justitiam incredibilem Redemptoris nostri, qui Judicem tunc acturus est, sed tam severum, ut & Matrem suam Sanctissimam, & Sanctos omnes intercedere pro me sit prohibitorus. 3. Creaturarum, & suam in primis vilitatem. 4. Titulos omnes, quibus & Sanctissimæ Trinitati, & Humanitati Christi Sacratissimæ fuerat obligata. 5. Actus suos omnes, & quidquid in his boni malive residet: adeoque penetrabit tunc erroris cujuscunque tenuissimi gravitatem, malique illius perniciem, quod contemptus DEI gratiosis auxilijs nobisimet consciisci mus.

*Affectus.*

1. Quid terroris me corripiet, cum video, quod, qui mortuus est in Cruce mei causâ, & ex amore salutis meæ vehementissimo, judicatus me sit tanta cum Justitia & severitate; & quod rationem exacturus sit effusi pro me Sanguinis sui ac Beneficiorum, quæ mihi innumera contulit? Cogitabo paulisper mecum, quid loqui mihi possit Judex meus hac super re, & cum non invenero, quid respondeam, quid nisi luctus tam triste silentium excipiet? 2. Quæ

O 4

tor-

formido me obruet , quando plenus metu ob  
enormia peccata de Patrono in omnem partem  
me vertens circumspiciam , neque inveniam  
tamen , qui vel tantillum aut velit , aut possit  
me juvare ; neque DEUS solabitur , neque Ju-  
dex , aut Sanctissima ejus Genitrix , neque san-  
cti Angeli , aut Homines . 3. Quòd si jam  
nunc mihi , ut par est , non prospicio , in quibus  
tunc versabor angustiis ? Temporalium rerum  
amor , qui etiamnum mentem obsidet , quid af-  
flictionum non pariet , nisi ocyus illum exuvat ?  
4. Serius Dolor , quòd tamdiu placare Judicem  
meum neglexerim , cùm scirem interim , ven-  
turum diem illum , quòd futurus est implacabi-  
lis . 5. Studeamus impensissem , dum licet  
& quamdiu adhuc invitamus , conciliando Ju-  
dici nostro . Ecquis seit , si modò non curem  
hoc Negotium , num porrò ulla id agendi fu-  
ra sit opportunitas ? Non ergo differamus rem  
periculi plenissimam ; temeritas enim est , &  
intolerabilis quidem , incerto illam eventui  
diutius committere .

## II. PUNCTUM.

Quis sit Judicij futuri Processus ?

Consideranda.

Examen instituetur totius Vitæ actionum

om.

omnium, quotquot cum plena animi libertate & Boni Malique cognitione contigerunt. Diabolus, quidquid noverit perperam à me factū, ejus me accusabit. Testem contra me aget rea omnium illorum Conscientia. Rigor examinis adeo exactus erit, ut actus utcunq; minimi, & quidquid boni in illis malique fuerit, in disquisitionem adducendi sint. Ratio deinde exactissima exigetur gratiarum omnium, & quos calitus accepero, Favorū, & quō illis studiō respondere conatus fuerim, exquiretur. Ita penitus intelligam, quid pretij quæque res habeat, & quod tam vilis nulla sit, cuius non æqua beat fieri estimatio; cùm omnes à libera Conditoris nostri manu tanquam Dona descendant.

Affectus.

1. Quid animi mihi foret, si jam nunc in jui vocarer? Quid habereim, quod DEO, tot cognita mihi, & incognita peccata obijcienti reponerem? 2. Nunquid delirij genus est periculosisimi, non omnes intendisse nervos, ad pacem cum Judice meo faciendam, cùm non sim securus de reditu occasionum, ad id exequendum opportunarum? Nunquid verò di-

O s gnu

gnus esset miseratione, si & hanc, quæ modò  
mihi sit, negligerem incertus, num ulla dein-  
ceps dum vixero, redditura sit? 3. Grates D<sup>O</sup>  
immortales agam, quod improvi<sup>o</sup> Mortis ge-  
nere nullo sublatu<sup>s</sup> hucusque sim. 4. Dolor  
de peccatis cordatissimus, efficax ad peccatorum  
omnium abolitionem. 5. Propositum, & ex-  
piandi quod malè factum est, & emendandi.  
6. Gratia Divinæ supplex flagitatio, quā adju-  
tus prudenter ad imminens Judicium me pra-  
parem, nihil omittens eorum, quæ in D<sup>E</sup>I co-  
spectu pretiosa sunt. 7. Contemptus, quæ  
cunque illa sunt de nobis, Humanorum Judi-  
ciorum, cùm unicum duntaxat hoc Judicium  
sit, cuius haberi ratio, & nunquam deponi-  
bet memoria.

## III. PUNCTUM.

## Sententia.

## Consideranda.

Finito jam examine, & veritate accusatio-  
num defensionūmque, accedente utriusq[ue]  
partis confessione, satis manifesta, & quissima  
Judex feret tandem sententiam irrevocabilem  
ex qua tota pendebit æternitas. Tanta verò en-  
tore mihi concussura sit. Quodsi ream esse con-

tigerit, addicetur suppliciis, quæ cum infernis spiritibus in peccatorum vindictam necesse erit pati à Divinæ Justitiae Ministris dæmonibus. Causa, ob quam vel absolviri me, vel condemnari æternis aut temporalibus ignibus continget, hæc erit unica, quod cum viverem, vel impellerim, vel neglexerim Divinæ Voluntatis placita.

*Affectus.*

1. O si ea tunc faciendi daretur occasio, quæ modò ut siant, conceditur! Eja faciamus jam nuncea, quæ tunc facta fuisse optabimus. Cum rem, dum possumus, clementem tunc experi-ri Judicem: frustra expectabo Clementiam, cum securum me facere nunquam fuerim con-natus. 2. Firmum animi propositum, exequandi omnia propitiando Judici meo, Divi-naque ejus gratiæ conservandæ necessaria. 3. Inevitabilis est hic rerum articulus, sistar hujus Judicis vultui, ejusque in corde hoc ipsum repe-niam, quod in illud præmisi, hoc est vel justam severitatem, vel paternam Clementiam, prout commeritus quidem fuerim. 4. Et possum, & jam nunc hora est, quâ possum dictare, & Di-vino ejus ori quodammodo inserere sententiam illam, quam de me pronunciari aliquando de-sidero. Cùm aderit Judicii fatalis hora, nihil, quid-

quidquid agam, effcero. Et quis scit, num ab hoc momento, ad usque tempus illud funestissimum, aliqua sit rei hujus futura occasio? Senò tandem hæc duo & profundè considera: sententia semel pronuntiata nullam aliò admittit appellationem: Æternitas semel inchoata mutari in æternum nunquam poterit.

**IV. PUNCTUM.****Executio Sententiaz.***Consideranda.*

Vix pronunciata erit Sententia, & mox ejus fiet executio. Anima enim condemnata dæmonibus tradetur torquenda, pro demeritorum, & sententiaz prolatæ ratione, hoc est, vel aliquamdiu in Purgatorio detinenda, si gravioribus quidem culpis libera, pænarum tamen adhuc aliquid debet, vel in inferis ignibus æternum condenda, si mortalis peccati ream Judex deprehenderit. Dæmones igitur abripient infelicem cum risu & sarcasmis amarissimis, quod stultipsa sit, quam adeo facilè fuisset evitare, & haec inter opprobria deiiciunt miseram in supplicium locum. Quod si animam Justi ab omni pennis supplicii genere contingat absolviri, eam Angeli in momento ad felicissimum Quietis &

Gaudiorum locum, ut æternū illic Beatitudi-  
ne, quam meruit, fruatur, deportant. Sed heu!  
quād pauculi sunt tam felices, & quanta ē con-  
trario infelicissimorum multitudo!

*Affectus.*

1. Tristitiam intolerabilem illius animæ,  
qua ignaviae suævitio, vel ad tempus, vel æter-  
num etiam, à Summo Bono suo videt se separan-  
dam! Quid doloris esse potest, quod non lubens  
suffineam, ut ejusmodi tristitia non necesse sit  
aliquando corripi? 2. Quoties, ô Anima mea!  
justissimò D E I Judiciò æternæ damnationis  
subire sententiam, ob multiplex adeo delictum  
meum debui? Quid verò adhibitum unquam  
diligentia, ad vitandum tam enorme Malum?  
Ita vixi haec tenus securè, quasi prospectum hoc  
in puncto mihi optimè fuisset, cùm tamen pro-  
bè sciam, nihil unquam contigisse minus. Quòd  
si perseveravero in torpore, quid me fiet deni-  
que? An ergo ita statutum est, ut nunquam cu-  
rare velim hoc salutis meæ tam grave nego-  
tium? si adest verò providendi melius rebus  
meis propositum, at quando id aggredi erit con-  
venientius? Certius sum, me id cōmodè præ-  
stare posse post dies aut menses aliquot: Mini-  
mè gentium. Ergo jam nunc sine mora admo-  
venda est operi manus. 3. Grates age Divi-  
no

no & Clementissimo Judici tuo infinitas, quod  
ad hoc usque momentum tam benignè te expe-  
ctaverit. 4. Eja time aliquando peccatrix Ani-  
ma, time eum, qui te mittere potest in infer-  
num. 5. Horreas relapsum, & præservari ut  
merearis, supplex flagita. 6. Expugna &  
dicitus evelle, qui ad malum te pertrahunt, no-  
xios affectus.

Colloquium fiet ad Beatissimam Virginem  
Mariam, gratias ipsi agendo pro materna, qua  
Filiū suum mihi benignum reddidit, inter-  
cessione: tum demississime rogabo, ut meo no-  
mine gratias Filio Amantissimo amplissima  
agat pro Clementissimo in me affectu, quo  
tempus & media mihi indulxit, quibus me ipsi  
reconciliarem possim. Denique, ut gratiam  
mihi promptæ & efficacis Conversionis impe-  
tret, supplex precabor, quâ adjutus, cùm Judici  
tempus aderit, propitium illum experiar, &  
Clementem Judicem. *Ave Maria.*

*Compendium Meditationis*

*De Judicio Particulari.*

*Oratio Præparatoria.*

I. PRÆLUDIUM. Intuebor me stantem jam  
coram summi Judicis mei throno, solis operi-  
bus meis comitatum.

II. P.R.

II. *Meditatio de Judicio Particulari.* 223

II. PRÆLUDIUM. Petam gratiam cognoscendi, quām æquum sit, studere omni operā, ut concilietur mihi, quamdiu fas adhuc est, *Judex meus.*

I. PUNCTUM. Astans coram æterni regis tribunali anima cognitionem induet clarissimam de DEI magnitudine, de charitate & Justitiâ infinitâ Redemptoris nostri, de titulis, quibus illi se obligatam esse intellegit, de propria vilitate sua, de opibus, & quid de re quavis sentiendum sit.

II. PUNCT. Examen subbit de actibus omnibus liberis, factis cum boni malique cognitione. Adjuncta horum actuum omnia ex-pendentur. De gratiarum Divinarum, earumque omnium usu ratio exigetur strictissima.

III. PUNCTUM. Sententia decretoria, ex quā pendebit æternitas, secundum severæ Justitiae leges pronuntiabitur, intellectâ accusacionis defensionisque veritate. Quid damnatione horribilius? quid absolventer Judicis pronuntiatō amabilius?

IV. PUNCTUM. Divinæ Justitiae ministri latam à DEO sententiam sine mora execuentur. Quam pauci rectâ in cœlum evolant! quantus illorum est numerus, qui in infernum abeunt! quām pauci purgantibus solum flammis

mis addicuntur ! Quid me fieret, si jam nunc  
judicium subire necesse foret ?

In colloquio gratias Matri Virgini infinitas  
agam pro Divinis, quos impetrare mihi dignata  
est, Favoribus; supplex rogabo, ut dum licet,  
placare mihi Filium suum dignetur, quò Cle-  
mentem tunc aliquando experiri possim.

### Sexta Veritas.

Explicata in Meditatione de Fructibus Pœni-  
tentiae.

*Vitam oportet me instituere, ita bonis actio-  
nibus ornatam, ut ad expianda, quæ hacten-  
malè facta sunt, sufficient.*

Primum Punctum docet, quâ ratione Be-  
nignissimus DEUS peccatorem ad paenitendum  
invitet, & ipse etiam ad id necessaria submini-  
stret instrumenta, illo ipso tempore, quo justi-  
simè ejusdem peccata æternâ damnationis sen-  
tentiâ posset vindicare. Ex quo intelligimus  
obligationem, quæ incumbit nobis ad vitæ se-  
riam emendationem; quandoquidem, si perdi-  
naciùs in antiquo vellemus hærere, nosmet ire-  
mus perditum. Hæc porrò vitæ mutatio pa-  
nitentiæ salutaris adminiculò debet fieri, ita no-  
Redemptore nostro adhortante, perituros, quo-

quot p̄nitentē reculaverint , prout in secundo  
præludio notatum reperis.

Secundum declarat , quod etiamnum hoc  
onus expiandi p̄nitentia remedium peccata no-  
stra , nosque ad DEUM convertendi , nobis in-  
cumbat , quandoquidem collatae nobis cælitus  
gratia nondum respondimus , faciendo illos  
Fructus , quos , qui ad hoc vivendi genus nos vo-  
cavit , à nobis meritò desiderat . Et idcirco serio  
jam hac de re consultandum est , ne gravius iram  
DEI in nos concitemus , si potrò implere hanc  
sanctissimam ejus voluntatem differamus .

Tertium proponit nobis periculum mortis  
improvisè , & jacturæ per consequens favo-  
rum omnium , quibus stolidi jam nunc abuti-  
mur ; docet item , quod post hoc , quod mentem  
intus DEUS jam concutit , monitum , de misera-  
tionis Divine copiâ deinceps aliquâ certi nun-  
quam simus , nisi confessim emendationem or-  
diamor . Unde concludemus , & quum omnino  
esse , ut ab hoc momento Conversionem no-  
stram inchoemus .

Præludia hæc meditatio tria habebit , Pri-  
mum erit narratio parabolæ de ficu , proposi-  
ta à Servatore nostro , Lucæ 13. ad persuaden-  
dam Judæis p̄nitentiam . Quæ quidem pa-  
raloba eundem h̄ic locum habet , quem habet  
P synopsis

Synopsis historica cujuscunque mysterij vitz Christi, quod considerandum sumitur, & proinde primum præludium hujus meditationis erit compendium quoddam parabolæ. Secundum Præludium erit loci utrinque compositio. Tertium petitionem gratiæ, quam desideramus, continet.

## Meditatio.

## De Fructibus Pœnitentiaæ.

## Oratio præparatoria.

I. PRÆLUDIUM accipies ex S. Luca cap. 13.  
*Arborem Fici habebat quidam &c.*

II. PRÆLUDIUM. Servatorem nostrum presentem mihi statuam, Judæos ad pœnitentiam allatâ parabolâ exhortantem verbis illis subjetis: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similes ter peribitis.*

III. PRÆLUDIUM. Supplex postulabo gratiam, ut tam profundè hæc Redemptoris nolim monita in animum descendant, ut istâ adhuc die vitam sanctiorem, hoc est, annorum omnium, quos in peccatis egi, expiaticem ordiar.

## I. Punctum.

Obligat me D E V S ad faciendos d<sup>icitur</sup>  
gnos Fructus Pœnitentiaæ.

## Consideranda.

*Silvestris arbor eram, stirps utique in felicitate.*

eissima, neque alios jam Fructus assueta gignere, nisi acerbissimos; cum DEUS pro eo, ut me secundum merita radicitus excinderet, misericordia paternæ oculis me intueri dignatus est, cāmque vivendi rationem respicere, quā egotunc peccata peccatis indignè cumulando, infernos ignes quotidiē novis titulis merebar, quorum periculō ut me eximeret, in felicius aliquod Religiosæ Familiæ aut Ecclesiasticæ vitæ novale transplantavit, vel eam saltem animo locem immisit, quā memet intus seriò contuerer; addiditque tam larga Divini Spiritūs munera, ut illorum adminiculō dignos pœnitentia Fructus ferre, atque ita abundantī vicē sanctitatem antea & orum annorum criminā satis utique expiare possim, id quod & sperat, & desiderat à me Divinus Vinitor. Ex illā igitur Divini Favoris horā nihil mihi ad Vitam rectissimè inducendam deesse cæpit. Insitus enim sum solo admidum fertili, ex quo tot pœclari viri omnis sanctitatis succum traxerunt. Gaudere licet Sacramentorum communicatione, excoli Orationis exercitiō, Lectionis spiritualis & examinationis ulū, multisque ejusmodi, ad insignem sanctitatis laudem pertingendi instrumentis. Liberalissimè immitti mihi sensi Divinas inspirationes & lumina, neque ulla defuit in

P 2 stru-

strudio, quam ad se<sup>t</sup>tandam virtutis iter, velexhortantium verba, vel cohabitantium exempla solent ministrare. Quid multis, largissimè suppetebat id omne, quod optari à quoquam posset, ad animum omni virtutum decorē imbuedendum.

*Affectus.*

Fatere, execrare, & detestare flagitiosam vivendi rationem, quam antè amplexus es, quām D<sup>E</sup>O tuo te committere ex integrō statuisses. 2. Agnosce ingens Creatoris tui beneficium tam benigni erga te tunc, cūm justissimum castigare te posset, vel damnando æternis ignibus, vel permittendo, ut peccata peccatis cumulans, majus tibi & acerbius in inferno supplicium comparares. 3. Gratias age pro tantaclementiā infinitas. 4. Profundè obligationem considera, quæ ad mutandas vitæ tua est, tum quōd D<sup>E</sup>US tam paternè id suadeat tum quōd tantum id ad salutem tuam habet momenti. 5. ô Malum peccati proflus execrabilis! quod nos usque adeo cæcos & stupido in æternitatis negotio facit.

*II. PUNCTUM.*

Dūm nullum adhuc pænitentiæ Frumentum fecerim, utique reprobari mereor.

Consideranda.

Ut ut insignis hæc DEI mei munificentia fuerit, quantumcunque severa fuerit mutandi vitam, tam damnabilem, obligatio; nihil tamen ego ad hanc usque diem præstiti. Emendatio nimurum omnis in hoc unicè consistit, quod non adeo facilè, & prout anè factum est, adeo impudenter jam cadam; at non omisi, multa bene grandia contra DEI mei sanctissimam voluntatem admittere, quæ & cum erroribus minoris generis, & cum negligentijs, usque Divinorum gratiarum minimè fideli conjuncta, sufficiencia certè sunt, ad decernendam tandem felicis animæ meæ damnationem, id quod & fecit jam nunchodie: exscinde, inquiens, & tolle illam, ut quid inutilis stipes tamdiu terram occupat? Ah in quam multos hæc sententia lata est, qui hanc ipsam, quam ego, vivendi rationem sequentes paulò me deteriores erant; in quam multos verò etiam pronunciata est, qui non parùm me fuere meliores!

Affectus.

1. Ah! quæ me cæcitas occupavit, ut cordi nunquam sumerem obligationem illam, quam tu, ô mi DEUS, ad emendandam vitam meam justissimè mihi imponebas, eum te opitulante hunc, quem modò sequor, statum ample-

P; dterer!

Aterer! Nunquam perpendi sat̄is, quod Fructus,  
 quos à me exspectas, num feram, toties explores,  
 & quod expectationi tuæ Justissimæ non respō-  
 dens excindi utique, & in ignem projici dignus  
 fuerim. 2. O enormem ingratitudinem, ab il-  
 lius offensâ non cessare, qui invitare me ad  
 poenitentiam veniāmque non destitit! 3. Fa-  
 teor, ô supreme Judex, quod non aliud à te  
 quam rigidissimæ Justitiæ sententiam fuerim  
 promeritus. Malè scilicet vixi in domo san-  
 citatis: idcirco non intueri dignus sum gloriam  
 tuam. 4. Sed ô insuperabilis Bonitas, triumpha-  
 tu de malitia meâ, & ejusmodi mihi ex Divinis  
 opibus tuis elargire gratiam, ut me totum ad  
 Te DEUM meum reverti, & quidquid boni  
 mihi contulisti, incassum donatum non effe-  
 ciat. 5. Agnosco mi DEUS, & fateor, Dam-  
 nationis meæ sententiam justam esse, & ad Di-  
 vinæ tuæ æquitatis leges exactissimam. Plus  
 ergo suppliciorum merui, quam tu, ô summa  
 Judex, vales mihi decernere. Est enim, etiam  
 cum punit, misericors infinita Bonitas tua; &  
 in hoc insuper est benignior, quod Damnatio-  
 nis sententiam exequi ipse non velis, sed alter  
 ejus committas curam, mihi sperandæ venias, &  
 placationis tuæ locum relinquas. Supple-  
 proinde Te de precor, exequere potius illumini

me, quem commerui, justitiae rigorem, quām ut patiaris porrō in deterius me usque & usque progredi. 6. Nimirum Foliorum stenili apparatu contentus non es, O Divina Agnita, quō ego vanos hominum me spectantium oculos tantisper haecenus implevi. Spiritus & veritatis solidos exquiris Fructus, aut tolerare me porrō recusas. Ita & quām enim verò est, neque ego dissentio, sed per infinitam ego te Bonitatem tuam rogo, ut id opitulante gratiā tuā tandem exequar, quod per tantum jam tempus à me expectasti. Et hodie & hoc etiam momento, ô Creator mi, salutarem vitæ meæ mutationem ordior. Id quod si differrem, ah quid me ingratisimò impudentius, quid magis esset temerarium!

III. Punctum.

Sanctorum aliquis tempus ad emanationem mihi impetravit.

Consideranda.

Explorabo mecum ipso, quis impedire potuerit, ne ferretur in me sententia damnationis, quæ tot: alios fulminavit. Et utique deprehendam verosimile esse, quod hoc beneficium aut Beatisimæ DEI Matri, sancto Josepho, sancto Angelo meo Tuteleari, aut sancto tantidem Fundatori meo debeam, qui sanctis

P. 4

pro

pro me suffragiis istum adhuc mihi Annum obtinuerunt, visuri, quid recepto hoc singulari, quod modò experior, Divino Lumine, bonorum Fructuum allaturus sim,

*Affectus.*

1. Ingenuâ quadam Verecundiâ studebo confundi, & conversus ad Augustissimam Virginem Matrem, ad S. Josephum, sanctum meum Tutelarem Angelum, S. Patronum, & Fundatorem meum, & ad alios tandem Sanctos, nimirum grates illis agam pro imperato hoc tam necessario mihi, tamque supra omne meritum meum pretiosò beneficium. 2. Eodem precabor, ut tanti Favoris intimam cognitionem mihi impetrant, atque ut nunquam depositâ illius memoriâ ardens integri profectus desiderium concipiám. 3. Rogabo, ut Divinam mihi opem, ad emendandam Vitam meam efficacem obtineant.

Pro Colloquio post gratias, sanctis Patronis meis actas, pro Divinis Favoribus, quos ipsorum suffragiis recepi, cohortabor meipsum, meque ad seriam Conversionem animabo, Deoque vivere denuo statuam. Est enim unde verear, ut tempus emendationi opportunum deinceps nullum habeam: & utique malum ego infinitum mihi consicerem, si Vitam, non cor-

III. Meditatio. De Fruct. Pœnitentia. 233

correctis prius erroribus meis, infelix terminarem. Sanctorum ad hoc implorabo Patronum, & illius obtinendi spe eretus, Domino DEO meo me offeram, ab hoc jam momentum emendationem meam auspicaturus.

Compendium Meditationis.

De Fructibus Pœnitentia.

Oratio preparatoria.

I. PRÆLUDIUM. Arborem Fici habebat quidam &c.

II. PRÆLUDIUM. Audiam Salvatorem nostrum, dicente Judæis: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.

III. PRÆLUDIUM. Petam Divinam Gratiama penetrandi hoc DEI mei monitum, ut ab hodierno statim die Vitam sanctiorem ordinar, quæ integrè annos malè haecenus exactos diluat.

I. PUNCTUM. Silvestris eram & malus frutex, ferox pessimorum Fructuum, sed DEUS me respexit, in meliori me tellure posuit, Spiritum suum Sanctum liberaliter impertijt cum omni ad sancte vivendum adminiculô.

II. PUNCTUM. At ego nihilo adhuc melior evasi, & idcirco satis causarum dedi Divi-

P 5 no

no Agricolæ, decernendi damnationem meam,  
uti tot aliis jam fecerat.

III. PUNCTUM. Sancti piis me suffragiis  
juverunt, & inducias tantisper impetrarunt,  
quibus uti bene ut studeam, convenit.

In Colloquio gratias Sanctis hisce Patronis  
agam, quod rogare pro me, meque tolerare tam  
benignè dignati sint, & hoc ipsum mihi Divi-  
num Lumen obtainuerint. Cohortabor memet  
ad omne Bonum, Divinam ad id opem implor-  
abo, Illique confusus ad vitam ab hoc momen-  
to emendandam me DEO meo offeram.

### Septima Veritas

Explicata in Meditatione de Filio prodigo.

Revertendum est ab hoc Momento ad DEVM  
in spiritu Contritionis, & serviendum ipsi in-  
tegrè, in rebus, quantumvis minimis imple-  
ndo sanctissimam ipsius voluntatem.

Primum Punctum ostendit, omnem Homi-  
nis infelicitatem ex eo nasci, quod à DEO, &  
implenda ejus Divina Voluntate se separe, ut  
suam faciat. Unde intelligitur, necesse fore ad  
hoc malum evadendum, ut revertamur ad  
DEUM, sanctamque ejus Voluntatem integrè  
amplectamur. Et hoc est ferè præcipuum,  
quod hac veritate continetur.

Secundum

Secundum & tertium Punctum communi-  
stai, hominem peccati, quod commisit, vitiō,  
in eam Animi cæcitatem & duritatem delabi, ut  
si DEUS severius ipsum non tangeret, sui pror-  
sus futurus esset immemor. Sed postquam pla-  
cat Divinæ Bonitati, Misericordiæ suæ oculos  
ei indulgere, & efficacius movere mentem, sen-  
tire illico calamitatem suam incipit, cāque li-  
berum cūm se velit, redire ad DEUM suum  
desiderat. Atque ita contritio in peccatoris ani-  
mo nasci incipit, non ex naturalibus motivis,  
sed ex supernaturalibus orta, ad dolorem mo-  
vens acerbissimum ob peccata, quibus DEUM  
Clementissimum Patrem suum offendit. Et hinc  
est, quod Veritas nostra dicat, quod *redire ad*  
*DEVM oporteat in spiritu contritionis.*

Quartum Punctum exhibet Filium prodi-  
gum, promptè Divinis Monitis obsequentem,  
quique idcirco ex loco & statu, in quem pecca-  
torum suorum malitiā præcipitatus erat, se cri-  
git, & recta ad Patrem suum properat, ejusque  
genibus advolutus agnoscit errores suos, veniam  
precatur, & ad expianda, quæ malè acta sunt,  
per omne obsequiorum genus sese dedicat; ne-  
que aliud jam sibi depositit, quam ut mercena-  
rios inter sibi vivere liceat, cum exactissimā ad  
omne imperium subjectione, quam illi spon-  
det

det se præstirum, quem nuncupare neque jam amplius Patrem audet. En perfectissimæ Conversionis Ideam. Velox illa est, neque moras patitur, uti habet proposita à nobis Veritas: *Ab hoc momento: peccato prorsus omni perfectissimè renunciat, idque ex Amore DEI de testatur: ad expiationem omnes suas facultates offert & consecrat: Vitam in eo omnem collocat, ut DEO placeat in omnibus, sive momenti aliquid habere videantur, sive non, ne que à DEI Creatoris nostri beneplacito vel tantillum velit discedere. Et hæc omnia cùm impleverit, nullam tamen in DEI domo dignitatem ambit, sed in contemptu, peccatis suis debitò perseverans eò solùm aspirat, ut in servorum fidelium & obsequentium numerò locum aliquem habere possit: id quod illa propositæ virtutis verba innuunt: Ad serviendum ipsi integrè, & in rebus etiam minimis implendam sanctissimam ipsius voluntatem.*

#### Meditatio.

#### De Filio Prodigio.

##### Oratio præparatoria.

I. PRÆLUDIUM. Erit narratio Parabolæ prout habetur Luc. 15. *Homo habuit duos filios.*

II. P.R.

IV. Meditatio. De Filio Prodigo. 237

II. PRÆLUDIUM. Ob oculos mihi ponam  
Servatorem meum, circumdatum Publicanis &  
Peccatoribus, & audiam eundem capite citato,  
Scribis & Pharisæis obmurmurantibus dicen-  
tem: Ita dico vobis, gaudium erit coram An-  
gelis DEI super uno Peccatore, pœnitentiam  
agente.

III. PRÆLUDIUM. Divinam opera im-  
plorabo, quâ me illico per veram contritionem  
ad DEUM meum convertam, tique integrè  
servire ordiar, implendo exactè omnem ejus  
sanctissimam voluntatem.

I. PUNCTUM.

Hominis Infelicitas ex eo gignitur,  
quod DEVUM relinquat.

Consideranda.

Filius Prodigus, cùm à paterna Domo di-  
gressus suis Appetitibus & Delicijs indulgeret,  
continuò cum facultatibus suis omnibus om-  
nem etiam honorem perdidit: cōque devenit  
calamitatis, ut ipsis adeo brutis animantibus  
esset miserior. Sic Peccator, Divinis imperiis  
contrarius, veram felicitatem suam it perdi-  
tum, vitâmq; amoenissimam juxtâ ac hone-  
stissimam cum infami tristissimâque vivendi ra-  
tione comutat.

Affe-

*Affectus.*

1. Execrare infandam hanc stultitiam. 2. Confer id, quod perdidisti, cum eo, quod scelè vivendo lucratus es, vitam Sanctorum cum tua, flagitosâ, aut tepidâ salem, compara: & quantum potes, dolorem concipe, quòd DEVM non dubitâris relinquere, ut Creaturis te indulges. 3. Detestare pro metitis Malum illud, quod tantis te miseriis immiscerit, tuæ, inquam, voluntatis præposteriorum amorem, cui ut obsequereris, Divinum neglexisti. 4. Plange quòd toties tamque impudenter DEI, optimi Patris tui, Bonitatem & Clemenciam offenderis, eum indignè adeo rebus quandoque vilissimis posthabendo. 5. Desidera, & decerne etiam, per ingenui amoris actus ad eum denuo reverti, nunquam dimittendum amplius.

**II. PUNCTUM.**

Reverti ad felicitatem incipit Peccator  
tunc, cùm infelicitatem suam  
experitur.

*Consideranda.*

Filius prodigus dilapidata Patrimonij por-  
tione, cùm jam, unde viveret, superesset nihil,  
servire coactus est, Herumque nactus est usque

ad eo

alio durum, ut cum porcos in pascuis tueri hominem suberet, ciborum tamen, quoniam se pastor feceret, nihil addiderit, neque illud satis famelico indulserit, quoniam gregem pasci voluit. Ita tabida miser fame, & varia insuper calamitate oppressus, suum tandem meminisse caput, & cum videret, planè infeliciorem se illis ipsis esse, qui in paterna Domo sua quotidianum victimum servili labore quererent, cum sensu demum acerbitate deplorare caput felicitatis amoenissimæ jacturam. Ita prorsus cum Peccatore, quem DEUS ad se revocat, res se habet: accidit enim, permittente quandoque Supremo Numine, ut eusmodi quid cogatur pati, quod acerbum doloris sensum infligit. Id quod eo fine benignissimus DEVIS immittit, ut citius infelicitatem suam ordiatur agnoscere, & Miseriarum fontem esse judicet, à Divino Consortio & Amicitia diffusa. Et hæc manifesta status Peccatoris misertimi, omniumque, in quas homo præcipitur, calamitatum notitia, quoddam est redditus ad felicitatem initium, & proinde impensissime à DEO postulanda, acceptatis demissis quibusvis tandem ad Divinam Amicitiam nos reducentibus semitis.

Affectus.

1. Feri, ô mi DEUS, non recuso manum tuam.

tuam, & tam efficaces inflige ictus, ut in animum usque penetrant, meque salutari nouis illustrant, quā intelligam, & unā ordinar odi vitam infelicissimam, quam duxi separatus à Te, & Divino tuo Ductui contrarius. 2. Da, ut paterna hæc tua verbera non tam vindex supplicium esse judicem, quām Gratias Divinæ. Manūs tuæ prorsus singulares, quibus excitare me vis, ut mei tandem esse memor incipiam, & æternam illam, quam commerui, infelicitatem evadam. 3. Gratias tibi pro omnibus, quotquot mihi immittere dignatus es, & cumnis, quibus, ut ad te redirem, clementissimè me invitasti. 4. Ignosce, si Divinis hisce Monitis tuis ad salutem meam ignavus non cooperatus sum, ut debui. 5. Per infinitam bonitatem tuam Te oro, non desiste torquere me adhuc, neque enim parui adhuc invitanti Tibi. 6. Da, ut videam statum Animæ meæ miserabilem, vltamque homine indignissimam: fac, ut exercer, quod odio tam dignum agnovero ex purissimo bonitatis tuæ, ah! toties offensæ amore, fac tandem, ut ad Te redux nunquam à Te devellar in æternum. 7. Omnis enim infelicitas mea inde, ut video, profecta est, quod Divinis Imperiis tuis adversus, inconsultis affectibus meis obsecutus sim. Doce me, oblectro, fa-

IV. Meditatio. De Filio Prodigio. 241

facere sanctissimam Voluntatem tuam , doce nullam omittere, Te laudandi, tibique obse- quendi, facultatem.

III. P U N C T U M .

Oportet, ut peccator se resolvat, reverti ad DEUM , Divinæque Ejus voluntati se submittere.

Consideranda.

Vitæ laboriosa & salutare tedium , & immi-  
nentia adhuc majoris mali non imprudens me-  
tus, conjunctus cum cognitione modi cuius-  
dam, quō se eximere his ærumnis tandem fas  
sit, & Filiū illum prodigum permoverunt, ut  
decreverit reverti ad Patrem , errorēisque ei  
suum demissè fateri, cum supplici obsecratio-  
ne, dignaretur Filiū suum, non jam ut Filiū,  
indignum nempe tam pretiosō nomine, sed ut  
paternæ domus mediastinum aliquem recipere,  
hominem scilicet, qui, nisi hæc cū ipso exer-  
ceretur Justitia, perditus planè sit. Ita peccā-  
trix anima, benignâ visitantis DBI manu ta-  
cta, decretum animo firmat, quoad potest, seri-  
um, abeundi ex miseriaturum lamentabili exilio,  
& ad eum, quem toties læserat , rediendi : id  
quod dum cogitat, nihil quide[m] sublime , ad  
quod

quod in domo DEI promoveri velit, meditatur, indignam se his gradibus arbitrans ; quod si quid in illa novit humile, si quid uspiam abjectum exerceri, ad illud industrie obeundum se preparat, satis jam guara, quantumvis vilissimam vivendi rationem adhuc meritis suis superiorem esse.

*Affectus.*

1. O ingentem DEI benignissimi indulgentiam, quâ peccatorem ad se invitat ! sed ô majorem omni favore beneficentiam, quâ Voluntatem, ut invitanti obsequatur, suaviter inclinat ! 2. Concede, Benignissime Pater misericordia illas imbelli huic Peccatori vires, quibus exequi velit, quod tu inspirare dignatus es, & decretum emendationis animò concipiatis, ita in spe Divini auxilij tui firmatum, ut nulla illud occursans in adversum difficultas valeat enervare. 3. Non ego mihi vel spondeo, vel peto à Divina manu tua pretiosas illas delicias & favores, quos innocentibus animis, Filiisque solùm illis decernis, qui se ab obedientia tuorum nunquam subtraxerunt. Nimirum nimirum que felix ero, si inter poenitentes me admittitis atque ita miserijs illis me eximis, quibus ego rebellis me implicavi. Hoc erit illud unicum quod mente versare, quidquid egero, nunquam

definam; satisfacere Divinæ Justitiæ tuæ pro  
delitorum meorum enormi nimium gravita-  
tis; implendo integerimè Divinam in omnibus  
Voluntatem tuam, neque unquam ab eo disce-  
dendo, quod placere tibi intellexero.

IV. Punctum.

Non differendum; DEVScuncta pro-  
sperabit.

Consideranda.

Filius prodigus, quæ bene proposuerat, non  
cundatur exequi, sed illico itineri se accingit,  
& magnis passibus paternæ domui appropiat.  
Pater, cùm eminus adhuc videret reducem, ob-  
viā illico procurrit, & tactus paterna misera-  
tione ruit in amplexus, & tenerrimè miserum  
desculpat. At Filius advolutus paternis pe-  
dibus: satis, ait, satis tandem, ô Pater mi! fla-  
gitorum meorum infami colluvie paternam  
mentem tuam affixi, DEIque contra me ju-  
stissimam indignationem irritavi, & idcirco ne-  
que dici, neque haberi amplius jam mereor ut  
Filiorum aliquis; inter illos, si quid indulgen-  
tia mihi voles indulgere, me admittere, qui vi-  
cūm sibi in domo tua labore comparant. Hanc  
ego deinceps vivendi rationem ita amplector, ut

Q<sup>2</sup>

dimis-

dimissurus illam nunquam sim : Tuus enim, mi  
Pater, tuus ex integro esse volo, & paternæ vo-  
luntati tuæ nexu quodam indissolubili devin-  
sus. Hæc inter longè alia optimi Parentis  
mens est ; neque enim agnoscere videtur illos,  
quos Filius memorat, errores ; neque ullâ ha-  
rum factâ mentione, vestiri supplicem jubet  
pristino habitu, ipse manum annulô, pedes cal-  
ceis ornat, & occidi curat saginatum in epulas  
vitulum, quò redditum amissi Filij lautissimè ce-  
lebraret.

¶ Ita prorsus animam ad DEVVM suum reveri  
convenit. Promptè in rem deducenda sunt  
quæ de conversione sua concepit, animusque  
DEO ita submittendus sincerè, ut vilissimi  
mancipij locum in ejus domo lubens volen-  
que acceptet & amplectatur : peccatis omnibus  
necessè est, ut renunciet, & quantum quidem fa-  
erit, relinquat statum illum miserabilem, in  
quem peccatorum suorum pondere depressus  
fuit, malisque consuetudinibus æternum va-  
ledicat, sanctissimæ DEI Conditoris sui vo-  
li spondeat fidelissima, absque eo, quod alio  
rem quamdam remunerationem sibi aut veli-  
mis soleat indulgeri. Ita jam ad officium suum

redix vix incepit agere, quæ suarum sunt partium, & illico suavissimam misericordiarum Patris manum experietur ; utsi enim oblitus esset injuriarum, ita placatus sinceræ poenitentie beneficiorum, antiquo reducem loco ponet, & in gratiam suam recipiet.

Affectus.

1. Dolor animi de offensa infinita hac Bonitate concitandus. 2. Desiderium excitandum, obsequendi DEO in rebus & vilissimis & laboriosissimis, ut aliquo modò satisfaciam pro peccatis meis. 3. Ah mi DEVS ! quidquid tandem tu gratia deinceps laboravero, non impedire tamen potero, ut te, ô infinita Bonitas ! non ad justam contra me indignationem commoverim, & ut tantum in Te non injurius fuerim, quantum amare te debebam. Sed cum infectum fieri jam non possit, quod pro dolor ! factum jam nunc plango, at saltē pro mancipio despiciibili & abjecto, sed fidelitatem, me recipere dignaberis. 4. Repetatur frequentius actus seriae contritionis, & offeratur benignissimo Conditori animus ad omne, quod exacturus est, obsequium. 5. Concipe generosam fiduciam, quod, qui tam benignè te vocare dignatus es, tanto cum amore recipere, & tam liberaliter pro minutijs obsequijs ingens tibi

Q. 3.

pra-

præmium polliceri, ille idem non omissurus si necessarias ad perseverandum in tam felici servitute gratias suppeditare. 6. Decerne tecum & firmiter omnino statue, Divinum in omnibus amplecti placitum, neque unquam ab impleanda Sanctissima Illius voluntate in re quacunqu declinare, sed indagare potius occasions, gratia aliquid Divinæ suæ Majestati faciendi, in quo cunque tandem id fieri continget negotio.

Colloquium vel ad Redemptorem meum, ut Sanctum Ordinis fundatorem dirigam, factum eidem humili negligentia meæ torporisq confessione. Audiam vocem ejus loquentem mihi intus ad cor meum: Ecce discessisti a me? ecce optimum Parentem tuum dereliquisti? Ego vero non inveniens, quid paterna objurgationi respondeam, hoc unicum ingeniam nabo: Non sum dignus numerari inter Filios tuos! fac ut sim inter servos tuos, & firma comitem insuperabili robore, in perfecta omnium voluntatum tuarum observantia, ut tibi sojam vivens mihi meisque affectibus tormoriar.

*Compendium Meditationis  
De Filio Prodigio.*

*Oratio Præparatoria.*

I. PRÆLUDIUM. Prodigus Filius peregrinans

à Paterna domo sua proficiscitur, famam & fortunas omnes perdit, rerumque jam omni-  
moppressus indigentia ad Patrem tandem co-  
gitur reverti. Redux igitur illi fit, & ut inter  
mercenarios admitti possit, obsecrat. Annuit  
placatus Pater poenitentis precibus, cùmque in  
gratiam receptionum antiquò locò collocat.

II. PÆLUDIUM. Considerare Redem-  
ptorem nostrum loquentem Judæis, illisque af-  
firmantem, quod Cælum super uno peccatore  
penitentiam agente gaudeat.

III. PÆLUDIUM. Petere gratiam, qua  
aditus jam nunc per seriam contritionem ad  
DEUM meum me convertam, eique integrè  
servire incipiam, implendo industrie omnem  
tuis sanctissimam Voluntatem.

I. PUNCTUM. Filius Prodigus, relicta pa-  
terna domo, se & sua ivit perditum. Qui à  
DEO discedit, eam tenet vivendi rationem, qua  
perdet omnia.

II. PUNCTUM. Calamitas Filio Prodigo  
mentem pullavit, ut erroris sui, & unā etiam  
emendationis esset memor. Infelicitas aliqua,  
in quam rebellium affectuum nostrorum virtuō  
lapissumus, expurgisci nos facit, & ut placare  
nobis Conditorem nostrum laboremus, ad-  
moner.

Q 4

III. PUN-

**III. PUNCTUM.** Præsentium, in quibus  
jacebat, ærumnarum tedium & mortis jam  
imminentis metus eò Prodigum Filium com-  
pulerunt, ut de reditu ad paternam domum co-  
gitaret. Peccatrix anima, immissa quapiam ca-  
lamitate, post idem jam sapientior ad DEUM  
redire statuat, in quo perditam sibi quietem re-  
cuperet.

**IV. PUNCTUM.** Prodigus Filius, quæ de  
reditu decreverat, ocyùs exequitur; supplex fit  
Patri, & in mercenariorum duntaxat nume-  
rum admitti obsecrat: Pater eum ut Filium re-  
cipit. Peccator vocanti DEO promptè debet  
obsequi, & ad expianda, quæ perperam commi-  
sit, se offerre, & hoc unicum desiderare, ut in  
DEI, unde imprudens recesserat, familiam re-  
cipiatur. Ita reducem pœnitentem animam  
ingenti D E U S cum indulgentia amplexa-  
bitur.

In Colloquio Redemptori, aut sancto Fun-  
datori meo humiliter omnem ignaviam meam  
confitebor, & supplex obsecrabo, ut perejus  
gratiam servire illi valeam fide-  
lissimè.

DISSESTITIO

Pro Tertia Die.

De negotio hominis unico & sum-  
mè necessario.

Grandis omnino infelicitas est, illa ignor-  
tia, quorum notitia maximum ad felicitatem  
nostram momentum affert.

Cura omnis, quam ejusmodi negotio im-  
pendimus, cuius secundus successus ab industria  
nostra ita pendet, ut non possit non pessimè  
succedere, nisi nosmetipso illi gerendæ bene  
applicemus: & labor omnis, quem, ut feliciter  
getatur, quod agimus, solemus suscipere, ex eo  
mensuram sumit, quid animi quidve affectus  
afficeramus ad id, quod molimur. Hic porrò  
affectus efficax esse non potest, nisi probè ad-  
modum intelligamus, quanta sit in se res illa,  
quam agimus, quantum ad nos pertineat, &  
quantum in nobis, ut prudenter illam agamus,  
sit debiti. Quòd si ita se res habet in omnibus  
passim gravioribus negotijs, quid de illo cen-  
fendum erit, cum quo nullum aliud ne quidem  
in comparationem venire poterit. Quantum  
ergo rei tam grandis ignorantia detrimenti no-  
bis afferre posset, & quantum illi debebimus,  
qui nobis illam eximet.

Q 5

Hoc

Hoc ipsum est, mi Lector, quod nunc ag  
gredior. Erudire te cogito, & Maximi, si  
quod est uspiam, negotij tibi cognitionem in-  
stillare. Hoc quidem pro hac die labotum  
tuorum suūa erit, ut penetrare studeas, non  
aliud tibi negotium ita cordi debere esse, quām  
suūum illud, & quod est momenti gravissimi:  
videlicet per actus DEO placitos salutem tuam  
curare, intelligere, quanta sit vecordia, non pro-  
videre rebus tuis, quamdiu id agendi tem-  
purret, & demum agnoscere necessitatem, vi-  
res, quantum fas erit, omnes in hoc intendendi  
ut salutis tua securus esse valeas. Adverte sedo  
lō mentem ad hoc monitum, tribus, quæ recen-  
sui, membris comprehensum, & si penetrave-  
ris, non parūni te profectus hodie fecisse jo-  
dica.

Magna fortassis negotiorum tibi moles in-  
cumbit, quorum singula multum utique ma-  
menti habent, quia vel ad Te, vel ad Familia-  
tuam, vel ad Republicæ emolummentum, ve-  
ad Principis, aut integræ Provinciæ statu-  
larem pertinent. Horum ut aliquod negliga-  
tiūs, quām id DEUS à te exigat, tractes, ne-  
que me, neque illum denique hominem effe-  
qui dum vivit, impensiūs aliquid curare debe-  
qui

quām negotium unicum, idque gravissimum. Utique enim Christianus es, & idcirco Redemptoris tui Verba, tanquam oracula, ut mententur, recipis? Hem ergo, quid & mihi dicat & omnibus: *Solicitus es, & turbaris erga plurima: porro unum est necessarium.* Intelligis, ut te moneat, non esse nisi unicum duntaxat negotium, cui te totum impendi velit? Nullus ego quidem de fide tua dubito, utique sinceram illam judico & integrā; sed ut viva sit, vereor. Proinde operā pretium facturum me puto, si argumentis etiam à ratione petitis illud tibi monstrare laboravero, quod Servator noster te vult monitum. Neque enim utilius laborat ratio, quām si firmandis illis, quae fides docet, se applicet. Arrige, si placet, mentem, & quatuor hæc argumenta pensiculatiūs considera; ducuntur omnia ex Veritatibus indubitatis.

I. Res, quæ non est atomō major, profectio corpusculi sui tenui mole cum toto, quantum est, universo, aliōve, quod mille partibus excedit, non debet comparari. Jam bona huius vita omnia tam sunt vilia, ut cum cælestium thelaurorum pretiō collata, non sint, nisi atomus, comparata totius universi aut alterius vastissimæ molis machinæ; cum voluptas, quantacun-

tacunque ex creatæ rei dulcedine hauriri potest, in comparationem cum illa, quam DEI beata possessio generat, venire nulla ratione possit. Ex quo manifestè conficitur, illam animi quietem, quam terrena secum bona videntur homini afferre, nunquam fas esse cum illa comparari dulcedine, quam gradus cælestis gloria, utcunque humilis, Beatis mentibus infundit, et si tempus, quo terrestris cælestisque hujus thesauri possessio duraret, esset simillimum.

II. Bonum, quod momentō non durat longius, & quod præstantiā suā non excedit punctū cuiuspiam apicem, finitum est utique; atque adeo nullam cum re infinita, hoc est immortali, & quoad excellentiam suam inexplicabili, habet similitudinem. Omnia verò hujus vitæ bona finita sunt, quia momentanea, neque punctilio, quoad præstantiam suam grandiora: at cælestis è contrario gloriæ quantavis parcissima portio, præmium Unicæ ad DEUM elevationis, æterna est, & omni descriptione excellentior. Ergo omnes hujus vitæ deliciæ cum gradu gloriæ tenuissimō, qui in elevationis ad DEUM unicæ præmium potest cadere, nihil habent similitudinis.

III. Qui se humanis negotijs cum salutis suæ periculō committit, jacturam eligit infinitam,

tum, infinitum scilicet relinquens, ut finitum  
loretur. Qui verò prudenter sua curat, ejus-  
modi jacturam non eligit. Qui prudenter igi-  
tus sua tractat, nunquam ejusmodi tractat ne-  
gotia, quæ cum salutis lux detrimento con-  
juncta esse intelligit: sed quidquid habet præ-  
manibus, id profectui suo ut deserviat, studet,  
neq; estimat aliquid curâ suâ satis esse dignum,  
nisi quod ad emolummentum suum, & Divinæ  
gratæ incrementum novit conducere.

IV. Jactura quædam infinita est, si, ut fini-  
tum aliquod obtineas, rem perdas infiniti pre-  
iij. Tu verò, utcunque perfunctoriè Creatu-  
ram videaris diligere, quòd si illam tamen non  
ut DEUM sed ut illam ames, jam infinitum bo-  
num erogas, ut finitum merceris: perdis enim  
aliquem cælestis gloriæ gradum, honum scilicet  
infinitum, quem lucratus jam fuisses, si par-  
tem illam animi tui, quam Creaturæ indulsistì,  
D E O Conditori tuo consecrasses. Ut cumque  
igitur remissus videatur Amor, quem Creaturæ  
impensis, cum illam propter se, & non propter  
DEUM, diligis, jacturam miser jam fecisti infi-  
nitii pretij.

Sciquid Tibi jam animi est, mi Lector? Nun-  
quid convictum te fateris? Ad DEUM omnia,  
& ad salutis nostræ securitatem referre, nō ha-  
quid

quid est unicum duntaxat habere negotium, & tamen obligationibus, quas incumbere sibi quisque novit, omnibus ex integro satisfacere? Quòd si ita se rem habere intelligis, quid incertum contra invictæ Veritatis vires reluctaris? Cur supremum tibi bonum tuum stulte invides, & inconsulto affectu infelicitatem tuam ultro amplecteris?

Nihil obsecro dubita, quin manifestæ adeo Veritatis sincerità ducti tòcum te committas; cura salutis tuz non impedit, mihi crede, ut quæ tibi, quæ proximo debes, integrissimè non impleas, quin imò adjumento tibi erit, ut officium tuum facias sincerissimè.

Quemadmodum enim Divina illa Jussio, quæ DEUM ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus nostris subemur diligere, illum amorem nullatenus impedit, quòd sanctæ nostræmet complectimur animam, & proximum prosequimur, imò & cunctem perficit & promovet, cùm necessum utique sit, ut qui DEUM amat, ut finem suum, eundem amet, & amet insuper propter ipsum, quidquid & quantum amari ille præcipit. Ita studium illud sapientissimum salutis nostræ & augendz in nobis Divinæ gratiæ nihil omnino ponet obstaculi, quòd minus illam, quam pro Divini be-

neplaciti ratione ad negotia nostra curanda af-  
fete par est, vigilantiam omittamus; sed atten-  
tiores nos faciet, eoque inductura est, ut hæc,  
tanquam Conscientiæ & Virtutis sacrosanctæ  
dicitamina, nobis proponamus, neque aliter in  
rebus nostris occupemur, quam juxta Divinæ  
legis aut beneplaciti normam.

Et hæc Res nostras tractandi ratio multum  
affet ad successus felicissimos emolumenti;  
tum quod mens, quæ hac sece ratione negotiis  
applicat, impetuosis passionum tumultibus li-  
bera, tranquilliùs modos illos dispicit, quibus  
ad finem suum quodvis commodissimè deduca-  
tur; tum quod largius Divina Majestas cona-  
tus illos benevolentia suâ prosequatur, qui aliud  
præter æterni Numinis gloriam non inten-  
dunt. Nihil igitur verere, quin Veritatem hanc  
sacra assensu excipias in hac vita: non aliud  
tibi nimis impensius curandum esse, quam  
ut coram DEO tuo in omni virtutum studio in-  
dustrie proficias.

Memini verò cum ejusmodi homine mihi  
negocium esse, qui salutari DEI timore imbutus  
vivat: & idcirco in hoc duntaxat fui, ut ostend-  
erem, humanis re rebus, ubi salus tua vel tan-  
tillum periclitatur, immisceri non debere.  
Quod si mihi cum altero quopiam esset collo-  
quium,

quium latius non nihil istud prosequetur ; ut ostenderem, pro omnibus hujus vitæ bonis jacturam spiritualis cuiuspiam lucri , etiam minimam subiri non debere , & longè adhuc insipientius , ad obtainendam tertiestrium bonorum vilissimam aliquam portionem , ad ripiculum faciendi jacturam omnium , quæ in Paradiso expectantur , & experiend: VindicemDBI manum , reprobos in infernis ignibus æternum punientis . Quid enim est in hac vita adeo pretiosum , ut dignum sit , quod jacturâ felicitatis æternæ & sensu acerbissimo infernalium tormentorum emi dignum sit , et si æternum foret ? Te , mi Lector , gaudeo , & gratus inde Deum benedico , non indigere hujusmodi consilijs . Rogo autem & obtestor Te , penetra , quantum fas tibi erit , animoque penitus impressum serva , quod identidem tibi jam nunc suggero , unum esse negotiorum omnium negotium , quod curari dignum sit accuratissime ; neque fas esse , ut ex spirituali profectu tuo partem , utcunque videbitur contemptissimam , perdendi aedes ripiculum , et si bona huisce vitæ omnia lucrari posses ; cum ejusmodi jactura non possit esse nisi cum ingenti salutis tuæ detimento conjunctissima .

Hæc vero cùm ita se habeant , poterisne ad  
hunc

hac inficiari, intolerabilem esse stultitiam, salutis tua, hoc est, summum, quod habere potes, negotium omni industria non curare. Sanè non existimo. Intelligo enim, non nisi hebetum id est, & stultorum, ut res inanissimas industrie procurent, graviora negotia velut pueriles nugas contemptum duntaxat tractent. At quantum inanes haec reculae tandem sunt, nisi bona hujus vitae, quae neque puncto majora sunt, neque longiora brevissimo momento? Quid autem jam magnum meritum dices aliud, nisi illam felicitatis infinitam communionem, quam DEUS ipse aeternum felix est, & securissimam ab illis tormentis libertatem, quae damnatos aeternam cruciant. Quid ergo stultum denique & insipientis esse judicandum est, si ille imprudentis non meretur, qui, caduca cum sectatur, eterna negligit?

Porro & illud stultorum esse non ignoras, ut inverso rationis recto ordine, Finem proximam, & media pro Fine amplectantur, ut si res omnes, quas contingit illos aggredi, ad arbitrium suum trahere, suaque in potestate successum habere videantur. Jam quo in negotio turpius inveneritur hic rationis usus, quam in quo aeternitate temporis postponitur, & aeterna nostra felicitas nescio cui fugaci voluptati, quam neque

R

in

in arbitrij nostri potestate relinquit D<sup>E</sup>US, nisi  
ut paradisi comparandi sit pretium: Nunquid  
ergo, stulte peccator, arbitratu tuo, quasi domi-  
natum exerceres liberrimum, demum omnia  
speraste aucturum? Nunquid cūm pro libidine,  
dum viveres, egeris omnia, alium subinde re-  
perturum te non putas, cuius voluntati, utcur-  
que invitus, cogarist te submittere? Nunquid  
vindici pñas Justitiae datus es, quas violasti  
tam sanctis, tam sapientibus, tam salutaribus  
imperiis Conditoris tui commeritus es? Ah!  
quanto ageres sapientius, si jam nunc ex illis  
sapientissimi Creatoris tui voluntate studecer-  
agere, quæ agis? Quid enim, nunquid aperius  
quod ajunt, oculis boni maximi irreparabilem  
jacturam facile sustines incurrere? Ecquæ ma-  
gna tandem jactura censembitur, si illam non  
estimas, quā bonum perdis infinitum? Ecquæ  
error demum immedicabilis dicetur esse, si illam  
non judicas esse talement, quō amittes in hac vita  
quod neque hujus, neque futuræ vitæ laboribu-  
rit unquam reparabile? Esto sanè, largiatur mihi  
D<sup>E</sup>US ad illa virtutis officia tempus adhuc  
reliquum, quæ neglexisti hacten, non tame-  
errores, quos admisisti, satis emendare te pos-  
spera; jactura, quam passus es, est irreparabili-  
lis: si sanctis te laboribus, cūm potuisses, occu-

Dissertatio. De l'unico Negotio Hominis. 259  
pâles, æterna tibi & major, quam nunc sperare  
potes, obtigisset in paradiſo gloria. Nunquid  
ergo infaniam esse dices, æternum quodammo-  
dolucrum momenti unius puerilis voluptatulâ  
mercari? Et nonne id ages imprudens, si terre-  
histe curis cum salutis tuae dispensiō commit-  
tes? Nonne causæ sati habiturus es, damnan-  
di aeternis luſtibus torporem tuum? Certè qui-  
dem Beatas etiam mentes æterna felicitas ita  
omni dolore facit liberas, ut necessitatem ta-  
men illis imponat, admissos in vita defec̄tus suos  
aeternum damnandi. Per DEUM, ô Anima  
mea, pérque teipsum te obtestor, nihil unquam  
deliberato consensu committas, quod ejusmo-  
di detestatione aliquando dignum sit.

Neque hic excuses, te velim, ingentem illo-  
rum multitudinem, qui cādem tecum cācā insa-  
nia laborant. Certè enim arrogantia, avaritia,  
impicias, & si quid ejusmodi porrō vitiorum  
est, non sunt idcirco minūs detestanda, quòd  
communia & quotidiana sint; proinde neque  
isthac de qua sermo est, vesania idcirco minūs  
est execrabilis, quòd tam multis illa solennis sit:  
hoc quidem est indubium, quòd est frequentior,  
et sunt pauciores, qui illam pro meritis suis ex-  
centur; & quoniam, qui illa laborant, eam  
non detestantur, facile est, ut in alios quoque

R 2 immi-

immigret, malūmque fiat ex die in diem austius. Sed cave, abusū te hujus frequentia & veluti consuetudo decipiāt: erit tibi olim negotium cum ejusmodi actuum tuorum judice, qui non aliter rem quamlibet, ac in se futura est, vel damnabit, vel approbat: peccantium ille multitudinem non intuebitur, aliāmque ejus rationem non habebit, quām quanta ad augendam severitatem sufficit, quam in illōs exeret, qui tam impudente, tamque communi gratia suā contemptu injurijs contra infinitam suam majestatem esse ausi sunt.

Quod si in his duobus punctis mecum jam sentis, ad tertium pergamus, & dicamus, optere omnino, ut incomparabilem hanc studiām omniū vita vitemus, re cāduca prorsus nulla spirituali profectui p̄rlata; & necesse per consequens esse, ut statuas tecum, abstinere quām longissimē ab illorum stulta nimis cācitate, qui, ut si fatali suīmet odicē insani laborarent, aeternam salutem suam manifestis periculis ōres inanissimas exponunt, peccatis se mortibus quasi per jocum nefariè implicantes: ne velim te contentum duntaxat esse, si securus de felici exitu salutis tuæ negotium te pratiuisse putas; ita potius studiosum te opto esse, nunquam sat̄s prospectum huic rei adhuc ci-  
judices.

Hac proinde adhuc horâ, hòcque momento  
tum statue, modò, quò poteris, optimò, salutis  
tua negotium curare. Hoc, inquam, momen-  
to; quòd si enim distuleris, neque ages hac in re  
quidpiam, & ne pejor fias, incurres periculum,  
& fortasse eam vivendi rationem inibis, quæ  
istâ, quam modò tenes, sit inquier, hoc est pessi-  
ma. Ne contemne, obsecro, invitantem  
DEUM, nunquam securum fuit obturare Di-  
vinae voci aures; ausculta potius, quid loqua-  
tur in te Dominus, tèque vocanti libens, si sa-  
pit, ubi mitte. Ab illo venit, quod tibi animum  
intus tangit, monitum; illius est beneficium il-  
la sancta, quam experiris, prospiciendi saluti  
tua Voluntas & propositum. Quòd si fixum ti-  
bi est, quæ decrevisti, exequi hem ordinem, quòd  
id commodissimè licebit aggredi.

Primò cum bono DEO tuo tecumque ipso  
dilquires, & intelligere laborabis, num ani-  
mos ibi tuus spem aliquam, & quantam faciat,  
quòd in gratia DEI sis; tum attentè tecum de-  
libera, num aliquid, aut quidnam virium tua-  
rom sit, quod, si agas, securiorem te æternæ  
beatiudinis tuae faciat. Quia tamen in re no-  
lim anxie mentis serupulosa & implicata con-  
silia sequare, sed ductum potius vel rationis  
cojuspiam, quæ occurret, solidæ, vel ejusmodi

R. 3 cer-

certè personę, cui securè tantum negotium pos-  
sis committere.

Deinde cùm feceris aut decreveris saltem fa-  
cere, quidquid ad hanc beatam animi quietem  
& de gratia Divina certitudinem videbitur op-  
portunius, tuarumque virium fuerit; coram  
DEO, & que ipso, tanquam negotij hujus testa  
certissimō, firmum animo statuas propositum;  
nunquam hanc vivendi, quam tibi tenendam  
descripsisti, rationem dimittendi, idque omne  
solerter obeundi, quod factu opus fore cognove-  
ris, omittendi autem, quidquid fieri non erit  
consultum. Huic decreto aliud adhuc conju-  
ges, quo statuas, in augenda tibi Divina gratia  
pro virium tuarum robore non in dies, sed in  
momenta etiam singula, profectum facere. Hoc  
porrò curarum summa tibi erit, ut in rebus,  
quoad licebit omnibus, Divinam gloriam, tu-  
que Animæ salutem cures & augeas. Hoc tan-  
dem, quod jam concepisti, propositum tam al-  
tas in mente radices ut agat, præstabis, que con-  
servando ejus vigori opportuna sunt providen-  
do, idque frequentissimè, primis his repetitis  
affectionibus renovando, ut nunquam in te valeat  
senescere, aut tempore noxio remitti.

Jam verò illud quoque negligendum non est,  
ut effectui dare studeas illas animi illustrationes,  
quibus cælitus eruditus intellexisti, quantum

referat, salutem Animæ tuæ rebus creatis omnibus præhabere. Cave igitur, ne unquam felicitatis tuæ sis negligens, ut nocere tibi ultro, recujuspiam creatæ studio, sustineas. Intellexisti sanè, quod, quidquid in hac vita pretiosum vulgo creditur, nullam, si comparetur cum eo, quod in patria speramus, estimationem mereatur. Fixum ergo ratumque tibi sit, deliciis humanis omnibus, utcunque futuræ sunt amabiles, alacri animo nuncium remittere, ut virtutis actum, quantumvis minimum, ut videbitur, exercere valeas, adversis verò occurrentibus pari constantia & alacritate obviare, ut ejusmodi scilicet instrumentis, quibus ad æternam felicitatem nostram novum semper pondus, novumque incrementum adiicitur.

Demique jam nunc providus tecum ipse considera, quid difficultatis in hoc negotio ab iliorum exemplis, qui simili tecum torpore laborant, passurus sis. Quodsi male sua atque sequenter curant, rationem sanè Vindex DEUS exigeret; hunc, si lapis, unicum intueberis: hic est, qui te vocat modò, quique actus aliquando tuos severus Judex discernet: quæ temeritas foret, tam benignè te Vocanti resistere? Demum jacturam momenti, non optimè in Divinò obsequiò impensi, detectatio sequitur æterna, sed inutilis.

R 4

CON-

**C O N S I D E R A T I O**  
Pro Tertia Die.

De Oratione Mentali & Vocali.

Elevatā ad DEUM mente supplex gratiam postula, qua, quod modō cogitas agere, magni ad profectū tuum momenti ages, quoad licebit optimē. Tum primō considera, num mentalem Orationem, vi Religiosi instituti tui ob-eundam, neglexeris aliquando, aut frequenter, & cùm non obligeris, tunc tamen eam omiseris, cùm opportuna illam exercendi occasio suppetet. Utrunque enim non sine magno profe-ctūs tui detrimentō contingeret. Quòd si dubium tibi sit, quid hac in re DEO potissimum ac-ceptum sit, prudentis te Viri juvabis consiliō, si quæ in utramque tibi partem occurront, sincerè illi exposueris.

2. Cura, ut, quæ meditaturus es, studiosè tibi præpares, neque coram DEO statuas, non con-sideratā priūs, super qua cum illo loquaris, ma-teriā. Hoc enim, ut scriptura loquitur, ten-tare DEV' Messer. In hac verò electione viri-um in primis tuarum, & spiritualis profectūs tui rationem habe. Cave, sequaris hoc in negotio quorundam inconsultos impetus, qui alta ni-mùm sapientes sublimi illi Divinorum attri-

butorum meditationi se audent committere. Si de ad hoc orandi genus nutu vocaberis, bene letis habet, sequere invitantem; sed qui ultro se Rebus tam augustis ingerant, non sint nisi paucissimi. Neque sensibilis tu consolationes pueriliter venare, illas præ alius materias feligens, quæ te blandius demulcent. Virtutis potius acquirendæ methodum observa, & passionum mortificandarum habe rationem, & sic tandem illa tibi meditanda sume, quæ hac opportuna sunt.

3. Quæ frequentior debet esse bonarum meotium occupatio, illa est, quam sanctus Petrus duplice capite, cognitionis & amoris JESU Christi Salvatoris nostri complexus est. Et idcirco in sanctissima ejus vita, acerbaque passione consideranda, frequentius versantur. Unde quoque velim, si quidem purgativæ viæ meditationibus probè expiatus es, in Servatoris tui mysterijs, quantum poteris, exerceri; sed cave abusus illorum incurras, qui imprudenti curiositate Celsissimum Humanitatis ejus dignitatem, & res admirandas, quas vel in sanctorum suorum gratiam, vel ad hostium supplicium operatus est, rorari præsumunt; id quod agere non raro vanitatis habet aliquid. Intuere JESVM tuum, ut imiteris, quem consideras, &

R s      ejus-

eiusmodi inde vitæ tuæ morumque ideam effinge, ut in affectum, & ipsam quoque vitam ex affectu derivetur.

4. Non inconsultum est, texum aliquem, vel ex Evangelio, vel Epistolis S. Pauli, Psalmis Davidicis, vel ex quocunque alio pio libello feligere, pro quotidiana facienda meditationis materia: omnibus tamen promiscue hanc meditandi formam prescribere, non usque adeo conveniens videtur. Multi enim in discursibus vagarentur, qui & sibi parum utiles, & DEO parum futuri essent gloriosi. Longe, adhuc rarius admitti debet, ut homines nihil adhuc supra communem sanctitatem elevati, in Propheticos, vel alios sublimiorum sensuum libros incaute involvent. Securius est ad manum habere meditationes a perito quopiam Auctore jam paratas, & in ordinem suum digestas, iisque, prout experientia suadet faciendum, uti.

5. Sed nolim contentus sis, penes te solum ejusmodi meditationes jam compositas habere, sed noctu illam tibi quotidie preparare curabis, quæ sequentis diei futura est manè occupatio, notatis industriæ punctis, quæ complebitur, & considerationibus, quibus te liberalius impendes, & affectibus tandem, indoli tuæ magis idoneis. Inde cum decubueris, ante somnum

rerum

reum, quas in crastinum præparasti, memoriam renova, earumque etiam manè, cùm expergiseris, assuesce meminisse, sedulò tecum reputans, cum DEO tibi mox agendum esse. Quòd sicum Rege loquendum tibi esset, nónne major adhuc de imminentे colloquio esset tibi cura?

6. Cave, unquam ita inurbanus orationem accedas, ut ad meditationem illico ab alia qua-  
via, etiam profana, actione pergas. Certè enim,  
si cum quoconque saeculi magnate tractandum  
tibi esset, nunquid diligentior ad id esset tua præ-  
paratio? Collige proinde paulò antè, quām or-  
diaris, sensus tuos, velut expectans ante Cu-  
biculi fores, dum ad ingressum tandem admittan-  
taris.

7. Ingredere igitur ad orationem tuam cum  
quanta poteris reverentia & submissione. Hæc  
enim, & cùm inchoas, cùm perseveras, & tan-  
dem etiam cùm desfinis orare, animi tui debet es-  
se dispositio, quæ & valens admodum contra  
distractionum impudentes impetus erit præsi-  
dium, precésque tuas & facile faciet audiri, &  
cum majori, quām spondere tibi alioquin pos-  
sas, emolumento admitti. Præterquam quòd &  
illud ex hac mentis & membrorum modesta  
compositione proficiuntur commodi, quòd &

pri-

primò te collocet, & conservet etiam in DEI Creatoris tui præsentia, & DEUM, ut se tibi benignius indulget, permotura sit, plùsque subinde valeat, quàm omnis alia orationis forma prodesse possit. Atque ita etsi tempus orationis tuæ integrum non nisi in ejusmodi annihilationis & humiliationis coram DEO tuo affectibus transigendum sit, si non idcirco tadiò quodam superatus, ab oratione desistas, sed constans in officio perseveres, nihil putate perdidisse.

8. Non omitte unquam sub orationis tuz initium, supplex à DEO postulare, ut omnes & Corporis & animi tui vires in tam sancto negotio idoneè adjuvent. Deinde præludia præmittes, prout materiæ, quam meditaberis, ratio exposcet, & prudens è super re consilium suadet. Loci cōpositione facienda nolim caput tibi multū fatiges; sacra quæpiam mystérij præsentis imago hanc ad rem posset esse usus: in eo potiùs totum versari te volo, ut & memineris cum DEO te loqui, & fructum, quem desideras, ab eo demissè studeas postulare.

8. Puncta singillatim, & eò, quò digesta invenies, ordine, meditanda sumes. Exerce insigulis memoriam aut intellectum priùs, considerando eam, quam continent, veritatem aetum.

adumque fidei super illis excitando. Discursum deinde forma, & sedulò inquire, quid conclusionis ex ejusmodi te Principiō opus sit deducere. Demum affectus suppone conclusioni jam facte maximè idoneos: & in his quidem ita te velim detineri, ut eos potissimum orationis tuz partem esse jubeas, qui tamen si efficaces sunt, ex prudenti consideratione plerumque nascidebent.

10. Porrò affectus isti possunt esse multipli-  
ces, & vel iisdem frequentius iterari, vel novi si-  
que varij excitari. Neque enim utilis est occu-  
patio, si consideratione ita duntaxat labores, ut  
nullo voluntas affectu moveatur; & proinde si  
sanctis mentem affectibus persentis incalesce-  
re, cave tunc ad alterius cuiuspiam rei consid-  
erationem properes. Persevera, quantum licue-  
nit, in sanctis, quos expertus es, motibus, Certe  
non ideo hic afflitis, ut mediteris multum. Pe-  
nitius autem & utilius mente & affectu, quam  
discursu solum adhibitō precaris.

11. Incides s̄a penumero ejusmodi affectu-  
um sanctorum beneficō in colloquia cum  
DEO, Beatissima Virgine, vel aliō quopiam  
Sanctō instituenda, quin & cum anima, cum  
corpore tuo, aut cum aliis mundi hujus Creatu-  
rite loqui utiliter continget; qui orandi mo-  
dus

dus Colloquium ab Ascetis dicitur, quamvis id, quod alloquimur, respondere nihil aut possit aut soleat. Et hæc, quæ retuli colloquia, quamvis bonum sit frequentius, quamdiu meditandi tempus durat, instituere, maxima tamen sub orationis finem eorum habenda est ratio, tempusque aliquod hic insumendum; ut vel novo calore, quos haec tenus habuisti, affectus inflammas, vel novos aliquos elicias. Illud tamen observa, ut, si cum DEO Sanctisque ejus contingat Te colloqui, peculiari in ea re demissione & reverentia studeas.

12. Quemadmodum varij sunt affectus, qui circa unam, quam deduxeris conclusionem, possunt elici, ita non prohiberis, multiplices ex eodem principio conclusiones statuere: quod cō consiliō dictum puta, ut nunquam de occupatione sis solitus. Cave tamen in his discursibus curiositati nimium indulgeas, eosque sine fructu suscipias, & proinde speculationes alio tantisper ablega, ut quæ scholis potius, quam orationi sint aptiores. Est sanè res ista non inefficax sathanæ deceptio, quâ mentes quorundam noxiè circumvenit, qui profectus alioquin non contemnendi, & magnæ cum DEO familiaritatis adipiscendæ capaces sunt.

13. Pro explorato habe, singulari quadam

tatione melius esse , si Orationis tempore pa-  
tientis,quam si agas. Longè enim aliter DEUS  
per se quam per te operatur. Idcirco Summæ il-  
lius Majestati non importunus nimium ut sis,  
cavendum tibi est ; id quod fieret , si ita conti-  
nuo illi loquerere , ut vicissim tibi loquentem  
manquam audias : id potius sedulo observa, ut  
mentis demissâ reverentiâ tantum vel etiam  
amplius curæ sibi sit, audire loquentem ad te  
DEUM, quam discursibus vacare. Quòd si igi-  
tur absque tua opera,motus in animo salutares  
percipias, à DEO profectos puta , & tanquam  
submissa cœlitus munera modestè excipe. Si  
quando illustrius quoddam jubar absque indu-  
stria tua singulari mentem implet,tunc loqui ti-  
bi DEUM intus existima , & ausculta, quâ par-  
est, demissione , loquentisque imperia, quâ de-  
bet, gestientis animi promptitudine accepta.  
Dolos tamen & illusiones mali dæmonis hac  
in re studiosè vita,& idcirco seculo te & pru-  
dentis magistri ductui permitte.

14. Indubitatum est , hanc orandi metho-  
dum & fructuolam jammodum , & jucundam  
etiam esse , si quidem Divinæ Bonitati placeat  
animam eam utentem benignis profectibus ad-  
juvare. At non minus etiam certum est , ma-  
gnis esse rem fallaciis obnoxiam, cum teterimi  
ho-

hostis nostri illusiones pro Divinis imperiis incauti accipimus, Quocirca, ut ad oraculum indubitate Veritatis confugias, necesse est. Neque tamen usque adeo etiam illusiones & fallacias ubique suspicare, ut & aliam in cor tuum cogitationem non admittas, quām illas duntaxat, quas proprio labore tuo illic parturisti, & alio affectu moveri tibi animum non patiaris, quām quem ipse non excitasti. Sicca profecto fore, tam aixij timoris vitiō, ejusmodi meditandi forma. Sublimes quidem illae methodi orandi, quibus quandoque rapiuntur aliqui, vigili, non nego, cautelā opus habent: sed nihil tu hic suspicare fallacie, si hanc, quam legis, sectabere orandi normam, longē à sublimi illa contemplatione adhuc abes.

15. Cūm finieris orationem, ejusdem deinde examen ut instituas, non omitte. Observa autem peculiares vel defectus vel profectus etiam, quos reperies. Stude, ut diem meditatio tua integrum teneat, quamvis orationis loco non diutius, quām Religiosæ tuæ leges exigant, assitatis. Ah! quanti sunt, qui laborant errore illo pessimo, quem S. Jacobus memorat: Vident & contuentur se in speculo, & abeunt, & ut primum ab humo, in qua prostrati oraverant, se erigunt, jam & orationis, & omnium, quæ illuc acci-

Consideratio. De Orat. Mentali & Vocali. 273  
accidetunt, incipiunt obliuisci. Si bene & pe-  
nitè meditatus es, non evanescet tam citò, quod  
illuc collegisti: sed matutinæ illæ preces tuæ  
largam credo materiam tibi suggesterent jacu-  
latoriis identidem affectibus Divinam interdiu  
mentem solicitandi. Et quæ tibi affectuum  
istorum cura est, tam efficacium, tamque illu-  
strum, & usu & commendatione sanctorum  
hominum?

16. Duplex est genus hominum, qui ductu  
& consilio, ut bene orare discant, præ ceteris in-  
digen. Illi nimurum, qui nondum magnos in  
Oratione, quam longo quidem tempore jam  
exercerent, profectus fecerunt, & illi, qui insuetas  
quasi orandi formas jam attigerunt, & ex-  
ercere solent. Utrique magnis quidem falla-  
cias sunt obnoxij, sed hi posteriores longè ad-  
huc, quam primi, periculosius exitio suo, si qui-  
dem prudenti judiciò non ducantur, admoven-  
tur. DEUM igitur supplex obsecra, ut suo te-  
ductu clementissimè juvare dignetur: deinde  
spiritualium etiam Librorum sequere consilia,  
& deum hominum in DEI obsequio perito-  
rum, & sapientum placitis acquiesce; illorum  
principiæ, qui eandem tecum vivendi rationem,  
cum capaces ceterà & probi viri sint, tenet, &  
experti suadere possunt, quid factu sit consultius.

S 17. Vo-

17. Vocalis Oratio , ad quam peccati, si omittas, suppicio obligaris, mentali orationi, quam ultronea Religione obeundam suscipis, præferenda est. Si utraque arbitraria tibi est, nunquam omittere mentalem debes, ut vocali possis vacare. Si tandem meditandi nullam habes peritiam, magnò tamen Vocalium precum numerò ne te obruas. A Patre igitur tuo spirituali intelliges, quantum Orationi tempus, & cui orandi generi te tempusque debebas impendere. Ea porrò, quæ oras vocaliter, quietè recita, & cum animi applicatione devotioni stude. Satis orasti, si bene orasti. Consultius erit, parum, sed integrè & decenter dicere, & tempus præscriptum rectè tam sancto operi consecrare.

18. Ad quas obligaris preces, eas, ut exacte dicas, cura, & præter integrum omnium pronuntiationem attentioni stude, quæ vel de verbis, quæ pronuncias, cogites, vel de re, quam postulas, vel de eo, quocum, dum oras, loqueris. Hæc enim triplex attentio salutari animum affectu mulcebit, & reverentiam illam tibi persuadet, quam ei, cui loqueris, jure suo debet exhibere. Noli inutili properatione ad finem contendere, quasi utilius in quoconque alio negotio exigere tempus valeas. Corporis siumilium tibi serva, qui ad reverentiam tibi conser-

vandam erit accommodatior : sed cave, tam  
enim ut eligas, qui nimirum corpusculi viri-  
bus incommodet, & ut paucis absolvam,  
ita tecum statue, te, cum DEI, sanctissi-  
morumque ejus Matris decantas praeconia, An-  
gelorum & cælitum obire munus : cōigitur  
affectu id exequere, quō id facturi es-  
sent tam pretiosi Encomiastæ.

19. Ter I sanctum & admirabile DEI no-  
men nunquam subire tibi mentem debet  
quoniam illico conveniente illam reverentiâ tan-  
tae majestati inclines. Inquire igitur, an  
non insensibili quâdam ignaviâ perniciosam  
consuetudinem induas, quâ veluti contem-  
pum agas cum infinita DEI majestate. Nun-  
quid enim sunt aliquæ, quas interdiu facis  
oratunculæ, quas nulla vel attentio vel Re-  
verentia commendat : cujusmodi sunt tri-  
plex per diem Angelica salutatio, Benedictio  
mensæ, & gratiarum postmodum actio,  
æ plures, quas deprehendes, si diligenter per-  
quisieris, & quibus idem adhæret vitium. E-  
quidem vero etiam non cogitans jacturam  
facis, mi Lector, hac mentis desidiâ.

20. Considera, utrum piam consuetudi-  
nem non tenere possis, Salvatoris tui, & Ma-  
tris

tris ejus dignissimæ cultui Litanias de Nominè  
JESU, & Lauretanæ de Beatissima Virgine  
quotidie recitandi, dicendi item Rosarium.  
Quid precum offers Sancto Josepho, quid An-  
gelo Tutelari, quid Patrono tuo singulari, quid  
aliis Cælitibus, quibus vel titulis arditoribus  
obligatus, vel teneriore affectu  
addictus es!



QUAR.